



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. III. Quomodo procedendum sit contra Reum contumacem spectato
præcipuè Jure canonico:

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

maciter absit, dici non possit. Conceditur quidem Actori in *c. Actor. l. h. t. in 6.* si post terminum citationis, ad quem reum adesse voluit, & comparuit hic, actore non comparente appareat, quod reum iterum citare velle possit, non vult, tamen audiendum eum Pontifex, nisi prius legitimas expensas, quas adversarius ob eius absentiam facere debuit, solvat, & cautionem sufficientem præstet, quod in termino constituto sit compariturus, cum pars innocens damnum pati non debeat propter alterius malitiam, neque credi possit, illi sine cautione sufficiente, qui semel in comparendo malitiosus fuit.

§. III.

Quomodo procedendum sit contra Reum contumacem spectato præcipue Iure canonico?

SI Reus post litem contestatam sit contumax, tum vel liquet de causa, & ferri debet sententia definitiva: vel non liquet: & Actor mitti debet in veram possessionem reservatâ tamen Reo absentis quaestione proprietatis, prout conformiter juri Civili statutum habetur in *c. Prout nobis. 4. h. t.* pœnam scilicet majorem constituyente jure, ubi major contumacia est, nolente tamen, ut de quaestione, cujus cognitio habita non fuit, sententia feratur. Si tamen ob contumaciam Rei per primum decretum, rei servandæ causâ in possessionem missus sit Actor, & hanc intra annum ob potentiam Adversarii v. g. consequi non possit, nihilominus tamen elapso anno verus rei illius possessor efficitur, ne melioris conditionis sit contumax, quam obediens, ut ait Pon-

tifex in *c. Contingit 9. h. t.* Non amittit tamen reus contumax de Canonica quietate suam possessionem veram, si intra annum compareat: ac cautionem præstet, quod in jus vocatus comparere velit, & interesse competens præstet illi, cuius interest, quod in tempore non venient.

§. IV.

De aliis quibusdam pœnis & modis, quibus contumacia Rei puniatur aut coercetur.

POtest nonnunquam Iudex ob contumaciam, spectatis variis circumstantiis, Actorem non mittere in possessionem rei petite, sed hanc in quietate, & contumacem in expensas à tempore citationis factæ condempnare ab Actore factas ob Rei contumaciam (ut constat ex *c. Ex literis 2. & c. Canon. lecti 6. h. t.*) non quidem ad exitum que causæ, cum Reus, quamvis contumax sit, non debeat ante sententiam commodo suæ possessionis spoliari, usque dum ponatur contumacia in vacatione in possessionem ex primo decreto succedente sequestratione. Sed inde tamen etiam contumacia Rei puniatur suspensione ab officio, & benedictione ac crescente contumaciâ etiam excommunicatione, prout summitur ex *c. Peritatis 8. h. t.* & si malitiosè Actor intentionem probanti peremptoriam exceptionem opponat, quam non probat in continenti, vel expensas Actoris solvere tenebitur, vel si non possit, arbitrio Iudicis puniendus est, *c. Finem 5. h. t.* ut in injuria fiat Actor, qui suam intentionem probavit.